DISSERTATIO ANATOMICA,

DE

FASCIA LATA,

QUAM,

CONSENSU EXPER. FACULT. MEDICÆ,

PRÆSIDE

ADOLPHO MURRAY,

M. D. ANAT. ET CH. PROFESSORE R. ET O. SOCIET. SCIENT. UPSAL. BASIL. FLORENT. BOTAN. ET GEORGOPH. UT ET SIENENS. ET BEROLIN. N. C. MEMBRO,

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE 24 MAJI; ANNI 1777,

H. A. M. S.

PUBLICE DEFENDET

ERICUS THURLING,

STIPENDIARIUS GRÖNVALLIANUS,

VESTMANNUS.

UPSALIÆ,

APUD JOHAN. EDMAN, REG. ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO ANATOMICA
DE
FASCIA LATA.

SECTIO PRIMA.
DE LIGAMENTORUM, TENDINUM ET APONEUROSIUM GENERATIONE IN GENERE.

§. 1.

Primo quidem intuitu facillima videtur differentia inter tendines ſeu aponeuroſes & ligamenta, ſed ſi curatius inſpiciatur, non parum habet difficultatis. Utrobique adeſt ſoliditas, fibræ adſunt parallelæ, duræ, tenaces, ſplendentes, cylindricæ, rugoſæ, flexiles & elaſticæ, utrobique etiam ſæpe in partibus connectendis uſus eſt idem. Color item tam horum quam illorum varius, jam coeruleus magis ſplendens, jam lacti ſimilior, pro ſolidiore vel tenuiore conſiſtentia.

§. 2.

Differentias poſuerunt veteres plerique admodum æquivocas; etiam VESALIUS, qui tamen contendit, tendinem & ligamentum ejusdem eſſe principii, licet ille ſentiat, hoc vero non item. Negat quidem nervos compoſitionem tendinum intrare, ſed per ſe tamen ſentire. Idem dicit tendinem coctione intumeſcere & citiſſime in gluten reſolvi, ligamenta vero nunquam texturam fibroſam ebullitionis adminiculo amittere. Sed hæc differen-

tia eo minus valet, cum a loco tantum dependeat, unde ligamenta & tendines deſumuntur. Si enim tendines admodum fuerint ſolidi, non magis quam ligamenta ordinaria coctione ſolvuntur; ſi vero ligamenta fuerint laxiora, æque ac tendines in gelatinam abeunt. GABRIEL FALLOPIUS, poſt deſcriptam egregie naturam ligamentorum, de tendinibus diſſerit, quos a muſculis quidem formari dicit, ſed compoſitum quoddam conſtituere, ex una parte nervorum & ſex aut decem partibus ligamentorum. Itaque agnoſcere dudum videtur, tendines & ligamenta non niſi difficulter diſtingvi.

§. 3.

Felicius a diſpari cohærentia tendinum & ligamentorum differentia formari videtur, quod nempe ligamenta, nullis intermixtis muſculis, oſſa tantum connectant, vel oſſibus interjecta, partes ambiant & coërceant molliores; tendines vero muſculis inhæreant, ſeu ipſorum extremitates efficiant. Sed, nonne multi tendines, ubi muſculorum extrema oſſibus adglutinarunt, ulterius progrediuntur, & cum ligamentis juncti, ita articulum circumcingunt, ut diſtingvi amplius nequeant? Videmus hoc in Faſcia lata circa genu & malleolos, in capſula articulum humeri ſuperiorem obvolvente & a muſculis ſcapulam obtegentibus, qua maximam partem nata, in peronei longi & tibialis poſtici fine plantari & ſic porro. Plurima ligamenta acceſſoria tendinibus valde ſunt ſimilia, eoque magis, quod magna ex parte aliam, quam liga-

ligamentum principale, teneant directionem, idque decussent; ficuti ejusmodi etiam decussationes ex accessionibus tendinum ad ligamenta formatas observamus. Præterea nec irritabilitatis nec sensibilitatis ulla produnt indicia; atque ex his omnibus patet, nullam adesse essentialem differentiam, sed ad idem principium, ex quo tendines ipsi producuntur, ligamenta esse referenda. Quum vero, uti jam annui, tendines & aponeuroses ut plurimum carni adhæreant, & ligamenta propria ossibus jungendis, articulationibus amplexandis & vaginis alicubi formandis potius inserviant; frigidiore examine limites horum inveniri posse quispiam crederet.

§. 4.

Veteres, ut Fabricius ab Aquapendente, Riolanus, Loverus, Steno, Baglivius tendines a musculis productos putabant, seu fibras tendineas permutari in musculosas, ut Schacher & alii. Ad priorem firmandam sententiam non pauca magni roboris adesse credebant argumenta, unde etiam inter recentiores multi eandem fovent opinionem, quam Ill. Albinus etiam acriter defendit. Rationes autem præcipuæ, quas allegant, hæ sunt. Vident fibram tendineam generatim consideratam cum fibra musculari eandem habere conformationem, cum minimo tantum hoc discrimine, quod illa firmior sit & densior, id quod inde putant derivandum, quum amplius musculi volumen in arctius sit compactum, atque adeo in eodem fasciculo tendineo major quantitas fibrarum

mufcularium fit coarctata. Vident porro vaginas cellulares mufculorum eadem continuitate fibras ambire tendineas, nifi quod jam pingvedo non comitetur, & vaginæ illæ eam ob cauffam arctiores evadant & firmiores. Cum rubens mufculorum color ex vafis innumeris & pellucentibus, retia inter fibras formantibus producatur, hunc ideo in tendinibus defiderari credunt, quod pauciora tendines intrent. Tendines inveniunt multo breviores & mufculos longiores in infantibus, quam adultis, ut hi permutari in illos videantur. Tendines cum ætate crefcere etiam augurati funt, cum nullum eorum fæpe ab initio adfit veftigium, verum, aucto demum partium motu, in oculos cadant, exemplo omohyoidei, biventris, apophyfi ftyloideæ adfixorum mufculorum &c. Qui vero contendunt tendines effe congeriem nervorum, & mufculos non nifi ex nervis multiplicatis formari, tendines dicunt explanatos in fibras mufculares commutari. Sed nimis multa dantur argumenta, quæ pofteriori huic hypothefi repugnant. Rationes vero prioris fententiæ, quæ mufculos in fibras tendineas mutari perhibet, tanto juftius a me funt examinandæ, quod in membrana jam paulo explanatius defcribenda, fortiffima adverfus easdem inveniamus argumenta, utpote quæ tendines aponeurofes & ligamenta idem prorfus valere, & loco tantum, extenfione & connexione differre, oftendit.

§. 5.

Concedamus inter fibras tendineas & mufculares ali-

liquam, ut modo dictum est, obſervari ſimilitudinem: denſitas tamen eo gradu major eſt, color adeo diſſimilis & proprietates reliquæ adeo diverſæ, ut ſi hoc a ſimilitudine deſumtum argumentum validum foret, omnes, ut per jocum argumentari liceat, lapides ad eandem referri deberent ſpeciem, quum omnes eundem lapidis characterem generalem contineant; piſces etiam volantes avibus, & amphibia natantia piſcibus adnumerarentur, & ſic in ceteris. Eadem vaginæ cellularis muſculorum & vaginæ fibrarum tendinearum continuitas nihil etiam demonſtrat; nam ſic adſumenda eſſet dura mater pro matre omnis telæ celluloſæ, quia dura meninx per cranii foramina exiens, cum celluloſa in collo ita irretitur, ut nullo artificio ſejungi & ſine dilaceratione violenta ſeparari poſſit. Omnes celluloſæ areolæ & fibrillæ inter ſe communicant & cohærent. Neſcio igitur, cur nec etiam illæ inter lacertos muſculares vaginulæ, cum aliis tendinum fibras ſeparantibus, conjungi & immiſceri debeant, præcipue quum tendines parem habeant ſtructuram fibroſam & eandem ſæpius ſervent directionem. Si vero has vaginas paulo adcuratius examinamus, facile patebit, totam celluloſam in illis locis, ubi fibræ tendineæ cum fibris muſcularibus concurrunt, quaſi confundi & tendinibus annecti, quorum lacertos & fibras poſtea involvit. Sbaraglia igitur dudum & poſt ipſum plures oſtenderunt fibras tendineas variis modis a muſculis illæſas ſeparari poſſe. Idem Leuvenhoeck paſſim adcurate, pro more ſuo, demonſtrat, & Muys prin-

primum docet angulo acuto earundem fieri contactum. Dissimilitudo coloris a solis vasis nequaquam dependet: quantumvis enim fibræ musculares macerantur, pallescunt quidem, sed sine albedine & splendore coruscante. Tendines infantum non breviores esse eleganti Cel. MOSCATI & operosa dimensione convincit, qua constat, eos potius in proportione esse longiores. Rubent quidem magis, primoque intuitu fibras musculares magna ex parte referunt; sed tales multæ sunt in Anatomicis hallucinationes. Nonne exempli gratia, tunica darthos, scrotum obvestiens, quum rubicundi sit coloris, diu pro musculo habita fuit, quam hodie mera componi cellulosa facile concedimus? Omnis nuper evoluta & nondum satis firmata tela cellulosa rubescit, quia vasis abundat, sed eadem proportione, qua illa evanescunt & quasi exsiccantur, magis albida evadit, & extensibilis, imo membranæ cellulares ipsæ demum tendinosam induunt texturam, vel aliis in locis cellulæ interceptæ, terreæ humorum substantiæ occasionem sese deponendi præbent opportunam. Videmus ossa foetus ipsa & callos fractorum ossium primum gelatinam simulare rubentem, quæ demum in albissimum abit os, adveniente terra calcarea acido phosphori saturata. Omnia membranarum æque ac musculorum vulnera, quando sanantur, carnem primum exporrigunt rubram, quæ postea contrahitur & evanescit. Dura mater in foetu rubet, non candescit, quod etiam de tendinibus valet. In prima igitur evolutione, secundum leges naturæ, tendines rubent, musculorum vero fibræ hac sub conditione nec plures

sunt

ſunt nec longiores. Concedamus etiam fibras tendinoſas in ſenioribus copioſiores eſſe & per motum atque attritum augeri; inde tamen non aliud ſequitur, quam ut cellulоſa fortiori & diuturno motu evoluta, ſenſim coarctet & quaſi extingvat fibras ipſas carneas, quemadmodum in oſſibus & callis vaſa illa demum obliterantur; nulla vero ratio adeſt cur fibræ muſculares ipſæ transmutationem talem per ſe ſubeant.

§. 6.

Præter has rationes proletarias immortalis HALLERUS plures adducit graviores, quamvis nihilominus, pro ſolita ſua in theoriis ſtabiliendis prudentia, indeciſum relinquere videatur, quænam ſit ſententia acceptanda. Memoratu ſane digniſſima eſt obſervatio quæ noſtræ etiam ſententiæ vim atque robur addit, qua edocemur muſculos nunquam evadere oſſeos, ſed celluloſam omnino compagem vaſorum, tendines & ligamenta in os commutari; ſique iisdem partibus quædam adjaceant fibræ muſculares, illas nunquam cum oſſeis fibris intertextas eſſe, ſed ab oſſis ſqvama facillimo negotio ſeparari. Irritabilitas quoque & contractilitas in tendinibus deſideratur, quæ duæ tamen adfectiones in fibris muſcularibus primariæ ſunt. Si etiam microſcopicis obſervationibus fidendum, ſcimus, demonſtratum fuiſſe, fibram tendineam in tam ſubtiles fibrillas dividi non potuiſſe, ac muſcularis.

§. 7.

Omnium tamen validiſſima ratio adhuc eſt intacta,

nempe quod tendo quilibet maceratione diuturna in meram commutetur cellulosam. Simson in suo tractatu de musculorum motu hoc dudum perspicit & non magnus tantum HALLERUS, sed etiam Celeb. Moscati eadem repetiit experimenta. Tenuiores tendines, ut plantaris gracilis, vel etiam crassiores, sed laxiores, ut peronei longi chorda, sola tractione in latitudinem ita extendi possunt, ut nullam amplius cum tendine similitudinem retineant, verum potius cum peritoneo vel pleura comparari possint. Contra fibræ musculares tractu quodam fortiore discinduntur. Tali maceratione elucescit, plurimas exteriores musculi fibras in exteriore cellulosa tendinis subsistere, & ubi hæc externa scindendo tollitur, firmior etiam pars tendinis in parilem solvitur texturam laxiorem. Idem in ligamentis experimentum institui, & licet ad hoc longior temporis mora requiratur, idem tamen est effectus; unde constat ligamenta & tendines iisdem absolvi principiis, quamvis consistentia aliquantum differre videantur. Speravi Chemiæ etiam adminiculo, totam alias Machaoniam artem, tam felici sidere a primis inde ad nostra usque tempora sublevante, analysi nempe ignis & menstruorum ope instituta, in nova incidere argumenta, quæ differentiam inter tendines atque musculorum fibras detegerent: spes vero me plane fefellit. Musculi enim & tendines usti & eluti easdem præbuere terras, illasque fere eadem quantitate *). §. 8.

---

*) Amicissimum, quem erga me in hac disquisitione animum testatus est Ill. Bergman, non possum quin hic gratissima mente laudem atque extollam. Hic enim invenit 10000 partium carnis humanæ continere 112 partes terræ ossium (terræ calcareæ acido phosphori saturatæ) 25 p. terræ

§. 8.

En aliud argumentum magni ſane ponderis. Si tendines omnes & aponeuroſes, quæ non ſunt niſi tendines explanati, a muſculis generarentur, nunquam aponeuroſes exiſtere deberent, ubi nulli ſunt muſculi, quin etiam directio fibrarum eadem eſſet cum fibris muſcularibus, unde forent productæ. Sed hoc anatomicæ diſſectiones negant. Quisnam e. c. muſculus duram matrem generavit, quæ alii cuilibet aponeuroſi perfecte eſt ſimilis & e capite cum nervis & vaſis procedens, celluloſæ cujuslibet ſpeciem præbet? Neque adfirmari poteſt galeam aponeuroticam a frontali, occipitali & parvulis auricularibus muſculis eſſe formatam; plurimæ enim interjacent fibræ, quæ originem inde habere neutiquam poſſunt. Et eo minus aponeuroſis crotaphitidem circumveſtiens muſculi progenies eſſe poteſt, quare quoque pro duplicatura quadam ſingulari pericranii habetur. Quomodo etiam fieri poteſt, ut aponeuroſis ſub ſterno expanſa a ſternocoſtali generetur, quum etiam in illis inveniatur locis, quo tendo hujus pervenire nequit? id quod etiam valet de aponeuroſi muſculorum intercoſtalium externorum. Unde generatur aponeuroſis ſcapulæ ſummi humeri, brachii, antibrachii, volæ manus & dorſi ejus, ut & interosſeorum? Unde multitudo fibrarum, quæ contra omnem muſculorum directionem aliis incubat fibris muſculorum abdominis? Unde illa oritur expanſio in dorſo, quæ eſt in-

ſiliceæ & dimidium partis iſtiusmodi terræ martialis. Vidit etiam ſummus hicce Obſervator tendines eadem proportione easdem largiri terras; ferri vero aliquanto majorem ineſſe copiam.

ter ſerratum poſticum ſuperiorem & inferiorem, ſub latiſſimo dorſi? Unde illa quæ tegit interdum ſemiſpinoſum colli, quæ ambit quadratum lumborum, quæ obvelat in pelvi obturatorem internum, frenat pyriformem? unde tota illa Faſcia ſic dicta lata & omnes ejus a muſculis ocultatæ ablegationes?

§. 9.

Et ſi attendimus ad directionem fibrarum, eandem ſæpe contrariam deprehendimus directioni muſculorum, quibus tribui ortus harum aponeuroſium poſſet. Fibræ e. g. aponeuroſeos inter ſerratos poſteriores, ſuperiorem nempe & inferiorem collocatæ, plane ſunt transverſales & muſculi dorſales ſubjacentes longitudinaliter deorſum tendunt. Muſculos exteriores vero, qui directionem tenent magis transverſalem, nullam cum hac aponeuroſi habere communionem, nemo neſcit. Exiſtit igitur illa per ſe, neque a muſculis recte dicitur produci. Aponeuroſis, quæ trapezio interdum adjacet, directionem ſæpe oppoſitam habet latiſſimo colli, cui alioquin ortus aponeuroſeos adſcribi poſſet. Idem valet de aponeuroſi ſupraſpinati & infraſpinati, quæ nec angularis, nec ſerrati antici majoris, nec trapezii, nec deltoidis, nec romboidis perfecte ſequitur directionem. Eadem eſt ratio plerarumque aponeuroſeon tenuium, quæ in ſubjectis tantum valde toroſis inveniuntur & præcipue ſupra angularem, ſcalenos, ſubſcapularem, ſerratum majorem &c. ſat ſunt frequentes. Neutri adhærent muſculo, & fibrarum directio, licet varians, ſemper fere adjacentibus muſculis repugnat.

Te-

Tenuis illa aponeurosis, quæ ambit brachium, crassior, qua brachium anterius vestitur, fortiores fasciculi aponevrotici, qui hinc inde supra musculorum aponeurosin ludunt, nec certam sequuntur directionem; diversa pariter strata fasciæ latæ ejusque crassities & ablegationes satis ostendunt, illas nequaquam a musculis originem ducere potuisse. Singulare hoc quoque est in majoribus aponeurosibus, quæ cum processibus variis inter musculos demerguntur, quod, quamvis progenies ipsius vaginæ, artus obvolventis, esse videantur, fibræ tamen horum oppositam sæpe ei habeant directionem. Aponeuroses interdum ex transversis componuntur fibris & ablegationes ex longitudinalibus. Pari modo comparatum est cum musculis penniformibus, seu tendinibus carni intertextis. In multis musculis fibræ insunt tendinosæ, & fibræ musculares, quæ his sunt adfixæ, ab utraque parte oblique adrepunt & abeunt, atque adeo nullam habent directionem tendini intermedio respondentem. Sæpe etiam fibræ musculares eodem modo ad alios transeunt tendines, eidem carni interpositos, longiusque distantes, atque sic musculos formant bipinnatos.

§. 10.

Ex his tuto concluditur, 1) Tendines, aponeuroses & ligamenta non formari nisi a cellulosa. 2) Vaginas cellulares fibrillarum, fibrarum, lacertorum, totiusque musculi, ubi non amplius ambiunt fibras musculares, arctius compingi, & cum periostio, reliquæ admixto cellulosæ, atque ideo musculo firmissimam parante adhæsionem, mixtas, compactam & splendentem componere chordam. 3)

Aponeurofes, quæ, ut fupra dixi, tendines funt late difperfi, non folum a vaginis cellularibus mufculorum ortum ducere, fed membranas cellulares omnes & adventitias ad earundem cônferre generationem. 4) Cellulofam telam, quæ in aponeurofin commutari poffit, proprium in fe non continere ftamen aponeuroticum, fed motum quendam diuturniorem, triturationem, compreffionem, aut pondus, telæ cellulas tantummodo explanare in membranam & hanc poftmodum cito colorem adipifci fplendentem & nitidum fibrisque exornari diftinctiffimis. h. e. aponeurofin evadere. Hinc oriuntur fubtiles aponeurofes adventitiæ, quæ non nifi apud robuftos inveniuntur laboratores. In operariis, qui multa humeris onera portant, aponeurofis trapezii valde eft perfpicua, in fabris aponeurofis brachii infignis; in teneris autem feminis vix ullum ejus eft veftigium, fed tantum membrana cellularis mollis atque tenuis; & in infantibus hæc expanfio membranacea magis adhuc eft flaccida, adeo ut cellulofæ communi perfecte fimilis fit. In illis etiam ne ullum quidem veftigium confpicitur omnium aponeurofium fubtiliorum, quæ tamen cum annis evolvuntur.

§. 11.

Nonnullorum tamen aponeurofium a primo usque humanæ vitæ exordio haud obfcura comparent indicia; quamvis haud aliter ac tendines rubere & mufculorum expanfioni fimiliores videantur, nec perfpicuos determinent fibrarum directores. Hæ ab initio fic comparatæ apo-

aponeuroſes aut tales ſunt, in quibus muſculi ſubſiſtunt, atque adeo ſumme neceſſariæ, ut aponeuroſis abdominalis; aut quæ zonarum inſtar totas ambiunt partes, ſimulque connectiones fibris concedunt muſcularibus, aut ſuis ablegationibus multos adnectunt lacertos muſculares, in ipſo oſſe locum alioquin non habituros. His accenſeri debent vaginæ muſculorum in genere, aponeuroſis ſupra & infraſpinati, ligamentum interosſeum brachii, aponeuroſis antibrachii, cum ſuis ablegationibus, aponeuroſis temporalis, plurima ligamenta capſularia & maxima atque patentiſſima Faſcia lata.

SECTIO SECUNDA.

FASCIÆ LATÆ DELINEATIO ET USUS.

Cum omnes Anatomici, qui muſculos deſcribunt femoris atque etiam in genere de vaginis muſculornm disſerunt, aponeuroſeos hujus delineationem vix prætermittant, quin etjam inter recentioris ævi anatomicos adcuratiſſimus Albinus eandem dilucide atque eleganter ſatis deſcriptam reliquerit: erunt forte qui judicent, hunc a me ſuſceptum laborem temerarium eſſe atque inutilem. Sed cum etiam Albinum de generatione hujus aponeuroſeos non prorſus conſentanea docuiſſe, nec directionem ejus in ſuis ſtratis, diſſimilem a veteribus & hodiernis auctoribus, ſatis dilucide explanatam, quam ipſe poſt diſſectiones plures conſtantem deprehendi, nec ablegationes ſatis adcurate determinatas videam, non prorſus eundem ſupervacaneum æqui rerum judicabunt æſtimatores. Si quoque conceſſerim

ſerim operam hanc ad Anatomiam pertinere ſubtiliorem, cujus in praxi medica uſus non adeo ſit celebris: eos tamen Anatomia dudum noſtro tempore fecit progresſus, ut exquiſitiores partium corporis humani deſcriptiones per ſe etjam ſcientiæ noſtræ amatores delectent, quamvis uſus ſpecialis non adeo ſufficienter fuerit expreſſus.

§. I.

Auctores, qui aponeuroſes fibrarum muſcularium continuationes eſſe exiſtimant, operoſius oſtendere conantur Faſciam latam, quæ omnes in natibus, femore & crure muſculos exteriores involvit, partim produci a fibris abdominalium dorſique muſculorum, qui oſſi pubis, ligamento Fallopii, ſpinæ & criſtæ ilei, ſeu oſſis ſacri faciei laterali annexi, exterioribus fibris os tranſeunt & ſuper femore diſperguntur, partim a muſculo tenſore faſciæ latæ. Ipſe etjam Ill. HALLERUS, qui tamen ad ſententiam a me adoptatam inclinare videtur, expreſſe dicit ab obliquo abdominis majore, latiſſimo dorſi, gluteo muſculo oſſibusque pelvim ambientibus natam. Verum quidem eſt, quod interdum fibrillæ quædam tendineæ obliqui externi atque etjam latiſſimi dorſi, poſterius marginem tranſire & faſciam latam quaſi obtegere videantur; ſed ſæpius videmus fibras hujus faſciæ ligamentum ad muſculos abdominales transcurrere, quam hos ſe demittere in illam. Nec raro accidit, ut, licet omnis ſcrupuloſa etjam examinatio adhibita fuerit, ne fibrillam quidem ab obliquo tranſeuntem detexerim, quæ tamen facile

le obſervata fuiſſet, ſiquidem hæ eosdem ac fibræ muſculares habituræ eſſent curſus, atque adeo decuſſare deberent fibras longitudinales faſciæ latæ, ad partem exteriorem exiſtentes. In ſubjectis pingvidioribus, ubi expanſiones tendinoſæ ſemper ſunt infirmiores, & ea pars faſciæ latæ, quæ poſterius extenditur, ſemper ſubtilior eſt, deſiderantur quoque ablegationes a latiſſimo dorſi, huc derivandas. Quod vero gluteus magnus cum ſua portione ſuperiore, ut & quoque tenſor faſciæ latæ ad generationem hujus aponeuroſeos plurimum conferant, dubio caret. Pari modo aponeuroſis ad genua a tendinibus muſculorum cruris pluribus nova capit incrementa; cum vero etjam ſupra tendinem glutei aponeuroſis firma admodum ſit & craſſa, & nulli ibi exiſtant muſculi, qui hanc ullo viſibili modo producant, quin & fibræ maxima ex parte oppoſitam habeant directionem, ut a muſculis non videantur productæ, neceſſum eſt, ut per ſe exiſtat aponeuroſis, ſed multis fibris muſcularibus & expanſionibus tendinoſis circumjacentibus tribuat connexionem.

§. 2.

Originem igitur & finem faſciæ latæ deſcribentes, id ſolum agimus, ut membranæ hujus per ſe ſubſiſtentis ſuperiores ac inferiores in partibus firmioribus adglutinationes adnotemus. Hæ quoque præcipue ad latera externa ejusmodi ſunt, ut muſculi ſubjacentes inter coxam & genu fortiſſime comprimantur & coërceantur. Ab interiore autem parte, ubi faſcia lata laxiori jungitur vinculo, ſubtilior eſt membrana, minusque tenſa. Per ambitum

bitum igitur ductu se dimittit continuo a crista ilei, a spina anteriori ad tuberositatem usque, a latere ossis sacri & coccygis, secundum oram extremam gluteorum, medii & magni, porro a declivi parte ossis ischii prope originem semitendinosi & tricipitis, a ramo ischii pubisque osse, ad capitula minora tricipitis, gracilem internum & pectineum. Anterior demum ora, quo cingulum illud aponeuroticum undiquaque æqualiter totum femur circumducat, ligamento Fallopiano arctissime adhæret, & ita adhæret, ut fibræ ejus cum chordulis ligamenti perfecte commisceantur. Ossi ilei arctius adhærescit aponeurosis, minus arcte posterius & adhuc laxius ad os ischii.

§. 3.

Ambit vero aponeurosis totum femur, ita tamen, ut præterquam superne ad gluteos, & illis locis, ubi inter musculos ablegationes emittit, eis non sit adnexa, usque ad genu, & eandem perpetuo fere firmitatem & crassitiem servare videtur. Sed ad latera genuum & ante patellam, non vero in poplitibus, fibræ fasciæ latæ tendini communi quadricipitis, ligamentis lateralibus & eorum accessoriis ita adsociantur, ut sine dilaceratione separari nequeant. Supra patellam tamen fascia lata transit, nec tendini nec ossi adglutinata, ut superius.

§. 4.

Membranam vero hanc aponeuroticam etiam per crura continuari dilucide patet in suris, ubi idem stratum tendineum, quod supra semitendinosum, semimembrano-

no-

nosum, gracilem & sartorium cum bicipite ab altera parte conjungit, & super ipsum poplitem excurrit, postea totam tegit suram usque ad calcaneum. In anteriori autem facie, ubi aponeurosis a quadricipitis tendine & flexorum, tam externi quam internorum magnis gaudet additamentis, descensu suo arctissime tam cum superficie ossis tibiæ, quam ejus & peronei musculis connexa est & ad ligamentum tibiæ transversum inferius, ligamentum laciniatum, & ab altera parte, usque ad ligamenta malleoli externi & ligamenta vaginalia peroneorum continuatur deorsum. Itaque tegit fascia lata totum femur, totum crus, ad articulum fere pedis.

In femoris parte postica membrana est tenuissima, ut interdum heic vix ullæ fibræ tendinosæ adpareant; interius vero paulo crassior evadit, exterius autem crassissima. In crure eadem est ratio; tenuissima nempe in gastrocnemeis, crassior ad faciem anteriorem tibiæ, crassissima inter tibiam & fibulam. Evanescit infime in ligamentis sensim, ut tandem inter fibras hujus aponeuroseos & ipsa ligamenta vix ullum inveniatur discrimen.

§. 5.

Considerabimus justo jam ordine membranam, tum ipsam, tum ejus ablegationes, primo in femore, dein in crure.

Fibrarum cursus in exteriore femoris dissimilis est ei, qui in interiori & postica obtinet. Omnes hæ oblique descendentes a posterioribus versus anteriora & inferiora, non tamen eandem servant directionem, atque fibræ musculi vasti interni, sed tam has quam expan-

ſionem tendinum tricipitis decuſſant. Subtiles valde ſunt & tenues, ſed nihilominus in ſubjectis toroſis conſpicitur, quod ſtratum interius meris conſtet fibris tenuioribus transverſalibus, cum prioribus arctiſſime connexis. Fibræ inferiores ſupra vaſtum internum fortiores, quam ſuperiores. Exteriores paſſim fibris nonnullis errantibus corroborantur longitudinalibus, quæ verſus patellam prodeunt & præcipue prope rectum cruris prorepunt, ubi evadunt uberiores; hic vero obliquæ & transverſales evaneſcunt. Fibræ poſteriora femoris occupantes admodum, ut dixi, tenues ſunt, neque oſſibus perſpicue adhærent, ſed circa tuber iſchii in celluloſa libere quaſi vagantur. Pleræque ſunt verſus interiora femoris, ſupra ſemimembranoſum, ſemitendinoſum & tricipitem expanſæ, transverſales, atque inde antrorſum oblique deſcendentes. Sed verſus exteriora circa bicipitem multo firmiores evadunt, idque eo magis, quo propius diſſepimento illo aponeurotico magno inter vaſtum internum & bicipitem immiſſo, de quo plura infra ſunt dicenda, accedant. Inferne in cavitate, quæ inter tendinem bicipitis & flexorum externorum chordas formatur, fibræ ſat valide fortioribus inſuper faſciculis miſcentur, quibus non tantum pinguedo, vaſa uberrime ambiens, egregie tegitur, ſed vagina quoque qualiscunque circa tot tantosque tendines efformatur; imo etiam inſigniori copia ſura fibris genu tranſcurrentibus providetur.

Aponeuroſis autem, quæ gluteum magnum involvit, adeo

eſt

eſt attenuata, ut pauca tantum frenula tendinoſa firmiora muſculi fibris & pingvedini interjecta paſſim adpareant, ſed quo propius ad trochanterem muſculus progreditur, eo fortiores evadunt fibræ, atque ibi per totum latus femoris externum, inter nominatum antea disſepimentum & rectum anteriorem cruris, aponeuroſis jam alia conſpicitur facie, firmior nempe & craſſior, ſtratisque tendinoſis diſtinctiſſimis aucta. Superne totam illam tegit glutei medii partem, quæ gluteo magno eſt anterior; & omnibus ſimul exterioribus muſculi fibris carnoſis adhæſionem præbet. Arctiſſime quoque heic eadem margini ilei adhæret. Fibræ tendineæ exteriores ſupra gluteum medium ſunt longitudinales, ſed ubi ad trochanterem deſcendunt, verſus poſteriora digreſſæ, & explanatæ, gluteo maximo oblique incumbunt. Fibræ tamen longitudinales anteriores recta potius deſcendunt, & quamvis hæ progreſſione minus firmæ verſus rectum anteriorem evadant, admodum tamen ſunt conſpicuæ, & prope genu notabilem recipiunt craſſitiem, ubi ligamento laterali genu admiſcentur. Tota illa portio tendinis glutei magni, quæ trochanterem tranſit, in hac faſcia lata ſubſiſtit, eamque augmento notabili reddit craſſiorem; ſed accuratiori examine fibras jam dictas longitudinales, has adventitias ad angulos acutos tranſire obſervatur.

Infra tendinem glutei magni aliud primum conſpicitur ſtratum externum, transverſale, atque ideo priori contrarium, quod tamen denſius non eſt, quam ut fibræ lon-

gitudinales fere ubique transſplendeant. Conſpicuum a diſſepimento notabili, ſæpius nominato, ortum ducit. In hoc fibræ faſciæ latæ poſteriora femoris occupantes, & in chordulas robuſtiores faſciculatim poſitas & hinc inde tam glebis pingvedinis quam vaſis prorepentibus pertuſas, congregari videntur, quæ hoc interſtitium emenſæ & vaſto externo adpoſitæ per totam rurſus ſuperficiem oberrant, donec ad anteriora oculis ſenſim ſubducantur noſtris. Hæ tamen chordulæ in ſuperiori dimidio femoris tenuiores inveniuntur & prope gluteum fibræ undulatim antrorſum procedunt. Stratum igitur faſciæ latæ externum infra magis robuſtum exiſtit, quam ſupra.

Duo jam ſtrata fibrarum perluſtravimus. Tertium intimum eſt & pariter transverſale. In tractu trochanteris majoris clariſſime adparet, ubi fibræ jacent denſiores & eo usque eminent, ut poſticum parietem tenſoris faſciæ latæ efficiant, quemadmodum anterior vaginæ lamina fibris longitudinalibus magis formatur. Inferius ad genu ſtratum hocce valde debilitatur, ut chordulam transverſalem paſſim tantummodo prorepere videamus. Fibræ oblique prodeuntes etiam his ſtratis immiſcentur, ſed iis plerumque locis, ubi a tendine glutei & tenſoris faſciæ latæ aponeuroſis capit incrementa.

§. 6.

Hæc de generali hujus aponeuroſeos circumvolutione & ſtructura adnotaſſe ſufficiat. Jam de ablegationibus ejus

ejus inter musculos conspicuis erit agendum. In antecessum tamen nonnulla de connexione & situ musculi tensoris, optime ab Ill. Albino descripti, adferre necessum erit. Oritur ab exteriore parte extremi prioris cristæ ilei, inter sartorium & glutei medii portionem extremam. Fibras vero bene multas etiam affigit dissepimentis mox nominandis, tres musculos a se invicem separantibus. Descendit demum retorsum & in ipsa fascia lata fine rotundiore sese perdit. Ex principio tendineo & compresso fit carneus, sensimque crassior evadit & latescit, usque dum tendinea tenuitate inter strata ipsa aponeurosis allegato modo, in medio femoris evanescat. Includitur igitur vagina, quæ vero multo tenuior est a parte aversa quam extus, nec cum illa aliis in locis, quam ad originem & finem, commiscetur musculus. Pollicis & quod superat, est latitudinis.

§. 7.

Jam ad dissepimenta. 1) Quod inter gluteum maximum & medium immergitur, jam majus jam minus est & gluteo maximo adfigitur, eo potissimum loco, ubi extremæ fibræ longitudinales jam oblique incedentes, limitem inter gluteum medium & majorem obvelant. Quod supra de contraria nonnunquam ablegationum & aponeuroseos directione adnotaveram, heic observamus. Hæc enim ablegatio fibris obliquis per transversales sæpe decussatis, retrorsum & sursum progreditur. Facile igitur dissepimentum hocce pro aponeurosi per se exi-

sten-

ſtente & cum exteriori tandem communi conſociata haberi poterit; atque hoc etiam tanto eſt probabilius, quod ſæpe diſſepimenta, præcipue in parte femoris interiore & cruris exteriore, robuſtiora videamus ipſa aponeuroſi, ex qua generari deberent.

2) Diſſepimentum ſecundum inter gluteum medium & tenſorem faſciæ latæ conſpicitur, quod ſæpe ad gluteum usque parvum & rectum anteriorem ſeſe extendit. Parvum hoc eſt & firmum, ejusque ora inferior in celluloſa laxa rectum anteriorem a crurali ſeparante evaneſcit.

3) Tertium inter tenſorem faſciæ latæ & ſartorium procedens, profundius poſtea demerſum, faciei iliaci muſculi & pſoæ externæ incumbit; latus externum demum ampullæ magnæ Albinianæ, pinguedine fartæ & cavitatem inter hoſce muſculos atque pectineum implentis, formaturum. Aponeuroſis tamen heic in membranam potius cellularem jam eſt commutata. Superficies ampullæ exterior ipſa formatur faſcia lata & altera interior alia ablegatione, interius ſupra pectineum & caput primum tricipitis procedente, de qua mox plura.

4) Sartorius a faſcia lata obvolvitur vagina, cujus hæc eſt ratio: anterior ejus æque ac poſterior lamina oritur a faſcia lata tot diſparibus locis, quot muſculus ſuo progreſſu, diverſos decuſſat muſculos, nempe rectum anteriorem, vaſtum internum & tricipitem. Quum faſcia la-

ta in femore interiore ſartorium prætereundo, hanc formet vaginam, facile patet, eandem in parte anteriore ejus eſſe rationem. Secundum ſartorii curſum obliquum transverſalibus transcurrit muſculum fibris, ad ſuprema & infima femoris & ſub genu fortioribus. Superficies poſterior vaginæ ſartorii valde tenuis eſt, ſed magis ſuperne, quam ubi muſculus atttingit vaſtum, quo loco fibræ transverſales, prope genu numero ſemper auctæ, ſat ſunt conſpicuæ. Heic etiam non modo vaſtum amplectuntur, qui aliqua ex parte ſartorio tegitur, ſed altius quoque immergitur aponeuroſis, atque arteriam cruralem capiti primo tricipitis incumbentem, involvit, eandemque per aliquod ſpatium comitatur. Per hocce diſſepimentum, quod procedendo increſcit, ita vaſtus internus & triceps inter ſe affiguntur, ut fortiores eorum fibræ tendinoſæ quaſi coaleſcant. Paulo inferius prope genu inter tendinem communem tricipitis & tendines flexorios internos dimittitur aponeuroſis. Sed hæc demiſſio eſt valde tenuis, & in molli celluloſa, quæ tendines generatim involvit, atque pingvedine poplitis cito ſeſe abſcondit.

5) Supra pectineum & portionem tricipitis primam profundius etjam dimittitur aponeuroſis. Ambit hæc dictam ampullam interius, ſed adeo eſt tenuis, ut fibræ tendineæ vix obſervari poſſint.

6) Ita quoque comparatum eſt cum diſſepimento, quod leviter attingit caput primum & ſecundum tricipitis,

interim tamen ſæpe ſatis dilucide conſpicitur oblique deſcendens.

7) Eadem portio, quæ inter capita tricipitis progreditur, etiam adjacenti gracili ſeſe ſubmittere, atque ubi ſuperficies faſciæ latæ gracilem anterius amplectitur, vaginam quandam conſtituere videtur; ſed cum hæc ablegatio magis ſit cellularis, non multum huic vaginæ erit tribuendum. Eadem eſt ratio diſſepimentorum, quæ in femoris poſtica facie inter caput magnum tricipitis, ſemitendinoſum, ſemimembranoſum & caput magnum bicipitis deſcendunt. Nullæ inveniuntur fibræ conſpicuæ, ſed celluloſa tantum membranacea, muſculos a ſe invicem ſeparans. Interdum tamen in ſuperficie capitis magni tricipitis nonnullæ hinc inde adparent parvulæ expanſiones aponeuroticæ, ſed ad faſciam latam, exterius adjacentem, illas perſequi, erit, puto, difficilius.

8) Majus & notabilius eſt diſſepimentum, cujus antea ſæpius facta eſt mentio, quod inter caput breve bicipitis & vaſtum externum collocatur, & a ſpina trochanteris majoris, usque ad condylum externum femoris ſeſe extendit. Breve hoc eſt ſed robuſtum, & huic, dum dedeſcendit, plurimæ adfiguntur fibræ vaſti externi & capitis brevis bicipitis. Heic etjam faſcia lata adeo eſt contracta, ut in vivo etjam animali, ſed macilento, in ipſa cute ad longitudinem femoris ſulcus quidam obſervetur. Supra hoc diſſepimentum chordulæ congeſtæ ſunt transverſales, quæ ſparſæ poſtmodum ſtratum efficiunt externum faſciæ latæ.

§. 8.

Supereſt jam ut partem faſciæ latæ crus ambientem deſcribamus. Prius tamen deſcenſus aponeuroſeos per genu breviter eſt explicandus. Ab interiore parte aponeuroſis ſemper eſt tenuis, quamvis robuſtior, quam ad ſuperiora femoris, & obliquam retinet directionem. Exterius vero admodum craſſa eſt & fibræ maxime adparent longitudinales. Obliquæ transeunt per genu in patellam & poſterius ſuper poplitem, ſubſiſtuntque demum in longitudinalibus femoris, ſed ita tamen, ut, quæ rotulam transeunt, tendini recti ſeſe aliquantulum admiſceant & ad limbum ſuperiorem rotulæ curſum ſiſtant; quæ vero inferius ſupra rotulam pertingunt, primum cum ligamento laterali interno & dein cum ligamento patellam tibiæ alligante coaleſcunt, poſtea rurſus ſeparantur & flaccidæ per modum membranæ, patellæ incubant. Inferiores vero partim ligamentis lateralibus, partim expanſioni tendineæ flexorum adglutinantur, atque hoc modo tibiam & crus pertranseunt. Ab exteriore autem parte plurimæ poſterius tendini bicipitis, ligamento laterali externo, & ligamentis acceſſoriis tendinique communi muſculi quadricipitis ab hoc latere ſeſe adſociant, & poſtea per muſculos cruri antrorſum adjacentes diſperſæ deſcendunt. Ad latera igitur genu faſcia lata partim ligamentis, partim etiam tendinibus maxime eſt adſtricta. Sed ab illis etiam adeo copioſa capit additamenta, ut duplicato robore inde per crus deſcendat. Dictis etiam partibus faſcia lata jam dudum ita adparet commixta, ut vera ejus directio ſufficienter determinari nequeat. Sed

in objectis fortioribus infra poplitem & in ſuprema parte ſuræ frenula in genu transverſalia in progreſſu luculenter adparent obliquiora, & fibræ aliæ obliquæ ab utraque parte ſuperne accedentes, in ſura tandem ſe attingunt & pulcherrimas formant decuſſationes. Paulo inferius in ſura poſterior hæc aponeuroſis augmenta ſumit a ſuperficie anteriore, quæ partim obliqua ſunt, & partim, ubi tendo achilles incedit, transverſalia. Atque hæc usque ad calcaneum continuant eoque burſam illam magnam, intervallum, quod inter tendinem, calcaneum & crus invenitur, implentem, capſulæ in modum includunt, denique vero malleolorum ligamentis immiſcentur. In ſura tota aponeuroſis plane laxa eſt, marginibus tamen tibiæ & fibulæ, quibus adnexus eſt ſoleus, limitatur & adſtringitur, ita ut gaſtrocnemei & ſoleus vagina quaſi involvantur, cujus paries poſterior a diſſepimento, de quo poſtmodum copioſius erit diſſerendum, formatur.

Anterius igitur aponeuroſis, magno cum augmento a tendinibus muſculorum & ligamentis orto, intertexta, deſcendit per cruris ſuperficiem; ſicuti vero additamenta hæc a ſuis quæque lateribus oriuntur & ſe invicem oblique attingunt, ita eadem etiam ratione aponeuroſis ipſa procedit. Ex interiori nempe latere primum oblique, fibris maxime divergentibus hæc ſuperficiem tranſit anteriorem tibiæ, cum antea poſterius, illa cum aponeuroſeos parte, quæ gaſtrocnemeos tegit, ſeſe conjunxerit. Deinde extendit ſe extra marginem exteriorem tibiæ, & muſculos

ſculos extenſorios tarſi pedisque deſcendendo tegit. Idem ab exteriore fit latere, ubi prius aponeuroſis quaſi nixa eſt capite fibulæ, ſed fibræ ab hac parte magis ſunt longitudinales. Interim in occurſu angulos in ſuperficie aponeuroſeos, jam magis jam minus acutos formant, & fibræ, mutuo prius elegantiſſime ſeſe decuſſantes, poſtea in ſuam quæque directionem continuantur. Tales deorſum abeundo aponeuroſis plures format decuſſationes, quæ ſpeciem maxime decoram efficiunt. Sed numerus ſtellarum hoc modo formatarum, ut etiam decurſus fibrarum maxime variat. In uno enim ſubjecto ad decem numerare licuit, fueruntque fibræ magis obliquæ, in alio magis transverſales, & ſtellarum numerus minor; unde etiam copioſiorem deſcriptionem non admittunt.

Ab averſa parte aponeuroſeos ſtratum conſpicitur longitudinale, deſcendens; id vero ad ſinum anteriorem condyli externi tibiæ oriri videtur, nec productio tendinum exiſtimari poterit. Cum fibris exterioribus obliquis ab utroque latere exortis conjungitur. Quin etiam ſuis locis, ubi fibræ oblique ſeſe decuſſant, propriæ ſæpe fibræ oriri videntur, quæ huc illuc, jam extra, jam intra proreptant, atque craſſitiem roburque totius membranæ mirifice augent. Tandem fibræ infimæ valde oblique incedentes, evaneſcunt in ligamento transverſali inferiore, marginibus tibiæ & fibulæ terminato, niſi quis a faſcia lata idem produci dixerit.

§. 9.

Ordo mihimet propoſitus jam ad diſſepimenta deducit.

cit. 1) Maximum omnium & latiſſime patens ſoleo ab interioribus ad exteriora ſe ſubmittit, omnesque veſtit muſculos pedi proprios & huic a poplite ad artum pedis ſubjectos. Transverſalibus potiſſimum conſtat fibris, ſed in ſuprema parte tibiæ, ubi ſoleus adhuc adnectitur oſſi, oblique extrorſum deſcendentibus. Ex hoc ſtrato transverſali plura emittuntur ſepta inter tibialem poſticum & flexorem communem atque flexorem pollicis, quæ tamen maxime ſunt debilia. Fortius tamen & maxime conſpicuum illud eſt, quod inter flexorem pollicis & peroneum longum fibris longitudinalibus incedit. Ad infimam cruris oram vaginulæ hæ tendinoſæ in ligamentis tarſi & pingvedine deſinunt.

2) A parte exteriore & anteriore cruris, ubi robuſtiſſima eſt aponeuroſis, ſeptum quoddam inter ſoleum & peroneum longum immergitur. Idem continuatur porro deorſum inter peroneum longum & flexorem pollicis & paulo inferius inter peroneum medium atque eundem flexorem.

3) Aliud eſt ſeptum inter peroneum longum & medium, quod carnem horum duorum muſculorum coërcet & connectit. Ubi vero tendines illorum denique ita ſunt formati, ut quisque ſuum ſequi ductum poſſit, in celluloſa demum ſeptum illud abſconditur.

4) Alia ablegatio admodum fortis inter peroneum longum & extenſorem digitorum longum, atque inferius inter extenſorem & peroneum medium invenitur. Deſcendit vero illa ad malleolum usque externum, ubi extenſor ad pedis dorſum properat.

5)

5) Robuſtum pariter diſſepimentum inter tibialem anticum & extenſorem quatuor digitorum procedit; ab eo nempe loco, ubi muſculi ſuperne tibiæ alligantur, oritur & ad inferiorem usque oram carnis, tendinibus denique perfecte formatis, deſcendit. Omnibus hiſce ſeptis plurimæ muſculorum adglutinantur fibræ, illorumque decurſus maxime videtur oblique deſcendens. Pleraque fortiora evadunt, quo propius ad oſſa pertingunt, tenuiora vero, ubi cum aponeuroſi communi adunantur, manifeſto, ut antea diximus, indicio, quod diſſepimenta ſingulares ſint aponeuroſes, quæ cum exteriori communi tantum conjunguntur.

§. 10.

In muſculis femoris deſcribendis vix, ut ſupra dixi, ullus tum antiquorum, tum recentiorum Faſciam latam prætermittit. Sed cum diſſectio ejus & deſcriptio ſit difficilis, mirum non eſt, quod magna heic inveniatur discrepantia. Inter plures igitur, in hoc argumento, Vesalius, Postius, Fallopius, Arantius, Columbus, Bernardinus Genga, Douglas, & inter recentiores Winslow, Albinus & Archiat. Comes Gallicus Ill. Lieutaud ſunt conſulendi. Deſcriptiones ab his tribus proxime allegatis relictæ breves quidem ſunt, ſed non minus elegantes. Winslow directionem fibrarum & ſepta faſciæ parum attingit, eamque ad genu deſinere adſerit. Albinus & Lieutaud ſunt adcuratiores. Septa prior ſolita brevitate & elegantia deſcribit, directiones fibrarum non tacet & ultra genu faſciam producit, ſed aponeuroſin cru-

ris

ris seorsim delineat. Recepta vero ab ipso opinio, quod expansiones tendinosæ e fibris muscularibus oriantur, cui tamen sententiæ tot in hac membrana repugnant argumenta, exactam satis pertractationem videtur impedivisse. Posterior hanc membranam modo sibi peculiari considerat, & expresse contendit, eam in parte femoris exteriore & anteriore tantum sitam esse, atque ideo solum involvere quadricipitem cruralem. Posteriorem etiam ejus partem pro singulari habet membrana, fasciamque latam ad genu terminari judicat. Sed diffusiorem hujus quæstionis decisionem addere non lubet. Ceterum ad dissectionem fasciæ latæ corpora tum robusta, tum quodammodo leucophlegmatica eligi debent, ut cellulosa tenacior facilius separari possit. Sic enim non dubito, quin diversitates in hac mea descriptione comparentes confirmari possint.

§. 11.

Gustui hodierno obtemperaturus, descriptioni adjungam explicationem utilitatis, quam in corpore humano hæc præstat membrana, quamque ejus cognitio in praxi promittit. Sed fatendum est novas, quæ adjiciantur in hac re, mihi non suppetere observationes.

Fascia lata vaginam femur & crus ambientem efficit, qualem plerique musculi longi habent circumjectam. Communem igitur cum his usum generalem fascia præstat. Heic vero tanto magis est necessaria, quod musculi femoris & cruris ad motum vehementiorem & latius patentem sunt destinati. Per hanc vaginam musculi in mo-

tu

tu violentiore ordinem ac directionem justam servant & prominentiam quoque omnem in tractione musculorum femoralium posticorum, facile alioquin metuendam, & multum difformitatis effecturam, impediunt, adeo ut, quamvis caro femoris dissimili cursu undique procedat & longos atque laxos plerumque habeat tendines, nihilominus sub actione musculorum decora retineatur rotunditas. Aponeurosis etiam ideo fortior est, ubi prominentia ejusmodi maximam allatura esset molestiam, ut in poplite & parte cruris anteriore. Sed eo quod aponeurosis arctius adhæret musculis, atque simul, tum superne ad ossa pelvis, tum inferius ad genu & ad articulum pedis vehementius tenditur, vagina alium adhuc affert usum, ut musculos in suis actionibus firmet atque adjuvet. Ut enim musculus in sua contractione intumescit, exactissime adprimitur vaginæ, atque inde tot obtinet nova puncta fixa, quot puncta itidem nova contactus. Musculi igitur non tam celeriter debilitantur, quam si vagina coërcente forent destituti. Ad partem posticam tendines etiam velut super trochleam ad poplitem currunt, unde secundum leges mechanicas facilitatur motus. Si quoque ad latera aponeurosis circa genu non esset firma, vagina musculis femoralibus non tantopere prodesset: jam vero tensores aponeuroseos, musculus nempe fasciæ latæ & portio glutei magni anterior, in actione sua fasciam latam circa musculos exteriori facie subjacentes tendere possunt, alter nempe a posteriore antrorsum, alter ab anteriore retror-

ſum. Sed tenſio hæc non facile retrorſum longius ſe extendere poteſt, ob diſſepimentum antea deſcriptum, inter vaſtum & bicipitem exiſtens.

Diſſepimenta pro diſſimili indole diſparem habent uſum. Si enim leviter tantum muſculos ambiunt, idem quod vagina in genere efficiunt; idque tanto magis, quod vaginæ communi, cujus ſunt ablegationes, adhæreant. Si vero muſculus aponeuroſi eſt alligatus, non novis tantum adhæſionibus idem corroboratur, ſed aponeuroſis quoque ipſa inde impellitur, ut ſuperficiem muſculorum æqualiter premat. Quantum ex faſcia lata muſculorum creſcat craſſities ad gluteum medium, vaſtum, bicipitem, & in anteriori cruris facie ad tibialem anticum, extenſores & peroneos plane perſpicitur. Ablegationes igitur vaginarum idem præſtant commodi quod tendines medii in aliis locis.

§. 12.

Magnæ generatim in Chirurgicis eſt utilitatis, ſi noverit quiſpiam, ubi tendinum, ubi aponeuroſeon ſitus, ubi fortiores, ubi debiliores, ubi partibus vicinis adhæreant, & quænam ſepta ablegent; quantum horum ſit robur & firmitas, qualis fibrarum directio. Hæc vero omnia de femore cognoſcere tanto magis eſt neceſſarium, quod tumores ibi, jam propria qualicunque cauſſa, jam metaſtaſi, formentur ſæpiſſime, hique ſuppurantes altiſſime crebro immergantur, cum ex pingvedine muſculis uber-

berrime adpoſita pabulum inveniant abunde. Si abſceſſus igitur altius quam ſub cute jacet, multum mihi adcuratior prodeſt faſciæ latæ cognitio. Si in poſtica adparet facie, novi, pus, per ſitum articuli incommodum, non modo ad genu, ſed etiam ad pedem ſeſe demittere poſſe; hoc vero nequaquam fieri in parte exteriore aut interiore. Si exterius vel interius ſedem poſuerit, pus non adeo facile retrorſum deferri intelligo, cum diſſepimenta reſiſtant, quæ antea ſunt puris ope deſtruenda. Novi etiam pus in facie femoris exteriore facile ſub cutem ſe diffundere, poſtquam chordulæ transverſales diſſepimenti magni exteriores a ſe invicem pingvedine & vaſorum exitu ſint ſeparatæ. Ubi tenuiſſima eſt aponeuroſis minus neceſſarium erit tantas facere inciſiones, quam ubi fortior eſt. Non igitur tantæ ad poſteriorem & interiorem partem femoris infligendæ ſunt plagæ, quam in exteriore, ubi etiam in leviori caſu longitudinales eſſe debent, quia fibræ fortiores & pleræque eundem ſequuntur curſum. In latere autem interiore propius ad genu, ubi membrana fortior, rectius eandem ſequor obliquam. Monendum tamen, ductum fibrarum, quando cultro ſcaturigo profunda vaſtaque mali aperienda erit, raro normam inciſionis faciendæ ſuppeditare poſſe; imo tum quoque multo conſultius eſſe, ab omni parte, tam rectis, quam obliquis & transverſis cæſionibus frenula quæque, puris egreſſui reſiſtentia, ſæpeque nocitura, cito citius auferre.

Miram ſæpe in molem increſcere & eousque antequam rumpatur, faſciam latam dilatari, ut femur craſſitiem to-

tius

tius corporis ſuperet, plura, quæ vidi in diris ſuppurationibus, docent exempla, & in penu ditiſſimo exaptatiſſimoque obſervationum Chirurgicarum, a Celebratiſſimo ſcientiæ Chirurgicæ Antiſtite, Noſocomiorum Regni Directore Generali Ill. ACRELL conſcriptarum, duo prorſus ſingulares inveniuntur caſus, eidem veritati luculenter adſtipulantes.

Cum faſcia lata in crure tam multis adhæret muſculis & craſſo poſtea ligamento excipitur, magnarum inciſionum & commodi ſitus pedis facile patet neceſſitas.

Cum circa genu aponeuroſis, tendines & ligamenta commiſceantur, quantum in omnibus, quæ heic accidunt, læſionibus, ſive abſceſſus fuerit, ſive fungus, ſive hydrops articuli, ſit metuendum periculi, facile conſtat. Minimum plerumque malum eſt, quod pars ad uſum fiat inepta. Sed jam manum de tabula.